

V C
5272



f. 4



h. 4125.

Vc
5272

GLORIOSA
VIENNÆ,
INVICTISSIMI IMPERATORIS SEDIS,
AUSTRIÆ METROPOLIS
LIBERATIO,

EDITA
AB
SERENISSIMI ELECT.
SAXONIÆ

CAMPESTRIS ARTILLERIÆ
SUPREMO PRÆFECTO ET INGENIARIO,
DANIELE SUTTINGERO,
e
VERSIONE MERBITZIANA.

Cum
PRIVILEGIO ELECTORIS SAXONICI,
SUMPTIBUS AUTHORIS.



~~~~~  
DRESDÆ,  
TTPIS CHRISTOPHORI MATHESII.  
ANNO dō 1ōc LXXXIIX.



GLORIOSA  
VIENNAE  
INVICTISSIMI IMPERATORIS SEDIS  
AUSTRIAE METROPOLIS  
LIBERARIO

EDITA  
AB  
SERENISSIMI ELECT.  
SAXONIAE

CAMERARIS ARTILLERIE  
SUPREMO PRAELECTO ET INGENIARIO,  
DANIELE SHUTTINGERO,  
VERSIONE MERITIANA.

CUM  
PRIVILEGIO ELECTORIS SAXONICAE  
SUMPTIBUS ALTHORIS



~~~~~  
DRESDAE,
TIBI CHRISTOPHORI MATHESII
ANNO MDCCXXXIX.





CURIOSUM AD LECTOREM

PRÆFATIO.

HAmâ in vulgus notum est, quâ ratione anno 1683. hostilis Turcarum exercitus, quo impetu etiam irruptionem fecerit, in oppugnanda Viennâ detentus, & obsessis strenuè defendentibus, quæ ex agro in urbem perterriti contulerunt, benè conservata, remotiora & à tergo loca ab incurfu barbarorum reddita tuta fuerint: quin objectis armis, quæ toties oppugnantes repellebant, hostis non parvam virium jacturam facere fuerit coactus.

Hoc ipso exercitus fugam parans sui colligendi tempus & confirmandi nactus, post aliis Christianorum copiis auctus barbaros aggressus secundo prælio fudit & propulsa-
vit, qui ipsi suo consilio depulsi, plurimis in-

terfectis, in fugam turpiter coniecti, amissas vires, perpetuâ clade pressi, reparare non sustinent.

Quamvis igitur de hac longè celeberrima victoria variæ delineationes in publicum sint emissæ, ipse tamen ausus ichnographiam meam, accuratius hæc curioso Lectori me propositurum non desperans, chalcographi operâ æri incidendam procurare.

Ubi observes velim, hostem 9. & 11. Septembris st. n. castris è Leopoldopolis Insula motis, è regione Caleni montis eadem posuisse, quò maximam quoque copiarum suarum partem adductam collocavit. Accessus contra, Suggestus, & propter aquam igne deltructa ædificia, usque dum fugâ salutem peteret, tenuisse, non intermissis globorum ictibus obsessos petens. Ichno-graphia hæc urbem & eò spectantia tibi exhibet, cætera qua fieri poterit, brevitate, verbis prosequemur.

BRE-



BREVIS ENARRATIO
Memorabilis Christianorum Victoriæ,

Quam
In liberanda VIENNA à Turcis
reportarunt.



Viennam Austriæ metropolin
anno à nativitate Salvatoris 1683. die
14 Julii, exercitus barbarorum, centum
& octoginta ferè millium, qui arma
ferre potuerunt, sub imperio Vezirii
Kara Mustapha Bassa accessit, quæ post
17. Julii corona cincta & omninò inclusa est. Hostis quidem
Accessibus aditum parare, ex utraque parte Lineis & adjectis
semilunaribus Reductibus se munire cœpit, dum contra Ba-
silicæ ac Lœbelii aggeres ad coopertæ viæ Loricam opera
promoveret, omniaq; munitione sic firmaret, ut quod semel
tentavimus, adversum in Ala propugnaculi & Accessibus,
quos altitudine circiter pedum novem duxerat, irrumperere
non possemus.

Obsessi quod ad defendendum se pertineret, stre-
nuè egerunt, igneo imbri, sagittis, lapidibus, granatis
minoribus majoribusq; ab hoste missis nihil deterriti parti-
culares Abscissiones, Traversarias, Caponieras, Plasdarmas,
struere, contrarios Cuniculos agere, Vineas hostium destrue-
re, quæq; ad resistendum hostibus excogitari poterant, sedu-
lò parare contenderunt. Tanto non intermisso labore Tur-
cæ locis supradictis, Loricâ & ponè eam extructa Parmulâ po-
titi sunt, fossâq; inter utrumque propugnaculum, locò sibi
maximè idoneo consistentes, extructis operibus, nostros ag-
geres de quibus dixi, tribus in locis ad incurrendum, disci-

B

derunt,

derunt, tùm in Cortina & aliis propugnaculorum locis, novos Cuniculos egerunt. Erat maxima pars nostrorum peditum occisa, vel vulneribus confecta, reliqui unà cum oppidanis labore, quem novem septimanarum spatium pertulerant, defatigati, ut nemo non quod in extrema spe salutis fieri consuevit, nobis demùm tentandum fore, existimaret.

Quo in periculo S. Cæs. Majestas & Romanum imperium, amissâ tantæ authoritatis civitate, versarentur, nemini ignotum est, unde ut subsidium mitteret, S. Cæsarea Majestas maturè omnem curam & operam intendit. Tempore tam necessario Serenissimus Princeps JOHANNES GEORGIUS TERTIUS, Elector Saxonix, ipse cum expedita manu undecim millium virorum protectus est, & sex peditum, quatuor equitum legiones, unam in qua desultorius miles, sequentibus lectissimâ granatophorum cohorte, cum prætoriâ equitum, balistis ac tormentis campestribus apprimè instructis, octavo septembris Gregoriani styli cum Cæsareanis, Polonorm, Bavari, aliorumq; fœderatorum, haud procul Thulnam consistentium copiis conjunxit, quo facto eodem die acies, quâ formâ subjectam vides, constituta fuit.

Te verò notare velim, petente Polonorum Rege, Imperatorem, Bavarum, Saxonem & Francos, singulas phalangas de suis copiis tradidisse, ejus sub imperio pugnaturas: inde factum, quod tantum quinque Saxonix in fronte depictæ tibi exhibeantur. Proximo die, qui erat nonus Septembris, omnis exercitus ex agro Thulnensi deductus, ad Viennensem silvam successit, hinc sequente luce montanis à legionario milite superatis, Saxonicus dextram versus progressus in verticem montis, Caleno proximi, enititur & reliquum pedestrem exercitum, qua in convalle constiterat, relinquit.

Eques à tergo sequitur, aliqui tamen è desultoriis eundem montem conscenderant, in quo tum Rex Pol. cum maximo ducum numero, naturam loci, & quæ videbantur, explorabant.

Rupes

Rupes erat è regione vallis posita, in ea Rex stationibus distributis, excubias agere Heidokenses jubet, Saxo quoque petente Polono, partem suorum militum eò mittit, ad quos urgente necessitate, excubitores illi se recipere. Eo die nihil tentatum est, proximo pedestres copiae ad Calenum montem contendunt, ubi Saxones propter naturam loci, reliquos prævertunt, mox, eandem ut frontem tuerentur, aliquantum subsistere coacti. Hæc dum geruntur iidem Saxones per exploratores, quos ad altitudinem montis cognoscendam præmiserant, certiores facti, montem quidem ab hoste vacuum, Turcas autem acie instructâ ad eundem contendere. Quamvis igitur Cæsareani pedites magno interjecto spatio abessent, reliqui etiam ad radices tenerent montis, tamen accepto nuncio montem Saxones ascendunt, quo commodiore loco contra hostem consisterent, quem verò pedem ibi figere cognoscunt. His factis ad sinistram pergunt, & cum Cæsareanis, ad quos propius accesserant, Camaldulensium monasterium, igne destructum occupant, producta q; tormenta, unum è Cæsareanis, bina è Saxonis explodunt in hostem, qui ubi parvulis præliis cum quibusdam volonum contendit, proximam vallem atque fossam sui muniendi causa petit.

Nocte illâ quæ secuta est, nihil motum, prima verò luce, die 2^æ Septembr. Cæsareani & Saxones montis aliquod spatium descendentes æquum in locum signa inferunt, unde liber & propinquus despectus erat. Ad radices montis perpetuus lapis, è planicie sex pedes editus reperiebatur, cui tabulatio, quæ magno nostris usui erat, imposita. Brevi spatio interjecto, hostis in valle confertissimo agmine non solum in Saxones proficiscitur, sed etiam qui adversi Caleno monti collocati fuerant barbari, in Cæsareanos, simili contignatione, loco tamen aliquantum inferiore usos, magno impetu irrumpunt. His rebus gestis Saxonice phalanges è summo monte se præcipites dederunt, & qui tanta

celeritate decurrerant, duplici agmine constiterunt, ad sustinendum hostem, nè infra montem fossam, quæ haud procul à valle aberat, occuparet, & eâ uteretur. Interim reliquæ phalanges subsecutæ & instructæ sunt: quibus cognitis Turcæ progredi non sunt ausi, legionarii verò eorum tuta sibi & tecta loca quærunt, è quibus glandem aliqui in nostros conjiciunt, pedem interea non moventes, dum maxima pars hostilis exercitus ad lævam contendere videbatur. Cæsareani eo loco pedites tenebant, quibus cum Saxonici granatophori ad montem, de quo paulò antè dictum est, collocati fuerant, unde Saxonicus peditatus in adversum hostem movit, qui Cæsareanos prælio jam laceſſebat.

Turcæ sic loco declivi, frutice & rupe tecti in Cæsareanos & Saxonicos, a pertis locis consistentes, imbres igneos mittebāt. Franci interim nihil agere^(d) ad quos supremus excubiarum præfectus, Comes à Reus missus fuit, petitum à duce, qui cum imperio erat, agmina sua ipse adduceret, ne fortè hostis Saxonicos à tergo, cui occasio non deerat, circumveniret. Francus paratum se omnia præstare dicit, sibi verò à Principe in VValdec, cui summa imperii suum in militem commissa esset, mandatum docet, ut ne suò injussu, loco, quem occupasset, agmina moveret, dum signum ipse daret, aut mandata mitteret.

Ad vallem igitur Saxonici secundi & tertii versūs succedunt, ne hostis eâ irrumperet, adeoque ad se muniendos è triplici linea unam, geminâ fronte, instruere coguntur.^(a. b) Quæ dum geruntur, plurimi ex illis cadunt, qui in primis signis constiterant, siquidem tecti barbari in apertos nostros sua fulmina mittebant. Exploratâ loci naturâ tutius videbatur, hostem inde propellere, quem tandem binæ Cæsareanæ phalanges, quas ut antè narravimus, sub imperio ducis de Croy barbarus maximè appetebat, in montem se recipere coëgerunt. Ultra montem descensu Cæsareanos Turcæ prohibere conati sunt, quo in cer-



(o)

certamine Dux de Croy vulneratus, frater ejus vulneribus confectus cecidit, dum Ludovicus Dux Badensis cum Saxonis defultoriis militibus, secundo è versu sinistri cornu evocatis, succesit, qui equo jussi descendere, hostem monte dejecerunt, non parùm adjuti duabus Colubrinis, quas è tormentis suis advexerant.

Reliquus pedestris Saxonum exercitus hostem à fronte & à latere adortus, ejus ordines turbavit, ita ut pedem vertere, & qui non procul aberat, oppositum in montem confugere cogeretur, quem fortiter superantes insecuti, sui colligendi facultatem & spatium non dabant. Quum etiam summo in jugo ordines constituere & se confirmare laborarent hostes, denuò cum Cæsareanis Saxones advolârunt, & ex tam vasto monte, barbaris sanè opportunissimo loco, magnâ virtute deturbârunt. Hòc iplo tempore phalanges illæ Saxonicæ, quæ, ut suprâ dictum, ad inferiorem locum vallis adductæ fuerant, adversis signis illatis, hostem rejecerunt, qui ipse tamen in eâ valle, in qua planities est satis magna, ad sua signa se recepit, fossamque occupavit, è quâ perpetuis globorum ictibus longiùs progrediendi facultatem nostris eripuit, simul prohibuit, ne se cum iis, montem qui tenebant, conjungerent.

Quibus de rebus factum est, ut expediti aliquot viri mitterentur, qui à latere imperum facerent, & barbaros submoverent: quo celeriter effecto, quæ aberant agmina, locum nacta, se explicare, & cum dimicantibus conjungere cœperunt. Brevi spatio interjecto, Serenissimus Saxonie Elector ipse montem superat, & præsentibus Ducibus, quorum auspiciis & in conspectu res gestæ fuerant, non minùs militibus collaudatis, contestatur, quantum præoptaret, præliò hòc sibi interesse licuisset: equitatui se in sinistro cornu præesse monstrat, à quo tunc quidem discedere, Ducis

C

non

(o)

non fuisset. Ad hæc Cæsareanus pedestris exercitus omnis montem conscendit & implevit.

Per id tempus, erat autem secunda post meridiem, in sinistro cornu nihil accidit, pedes verò cum dextra ala, quæ interim è silva apud pagum Dornbach processerat, paratus & ad pugnam instructus hosti appropinquabat. Mox magna hostium agmina contra dextram alam ire animadversum, ad quæ nonnulli eorum confugiebant, qui in sinistro cornu pulsi in vallem profligati fuerant. His Polonorum aliqui obviam processerunt, rejecti verò ad eas quatuor phalanges se receperunt, quæ, ut supra memoravimus, petente Rege, è Cæsareanis, Bavaris, Saxonis & Francis lectæ, traditæ, & priùs quàm Calenus mos caperetur, illis præsidio, idoneo loco collatæ erant. Ab his Poloni non semel sunt confirmati, & eò quidem tempore dextram alam pressum & virtute superatum iri videbatur. Tandem Hussari proruentes hostem alacri animo strenuè aggrediuntur & in fugam conjiciunt.

Dum hæc geruntur, Dux Lotharingiæ & cum ipso alii ex Cæsareanis dictum montem conscendunt, spectatores prælii quod in dextro cornu committitur. Ubi verò hostem fugâ salutem petere animadversum fuit, fugientes insectari & victoriam prosequi ex sententia & consilio summi Præfecti Golz, Duces constituunt. Dux Lotharingiæ quidem cum comitibus ad suos redit, Cæsareani verò & Saxonici pedes è monte descendere contendunt, similiter acies omnis movet. His cognitis Turcæ ad priora castra sua refugiunt, quorum ad lævum latus aliquot millia concurrunt. Simile quid Suggesti struxerant, cui imposita sex ænea tormenta, (e) semper verò plus justo elevata, vanis ictibus explodunt. Creditum fuit hostem haud permissurum nostros ascendere, attamen ubi Cæsareo-Saxonici ad pugnam paratò animo

mò

(o)

mō montem versūſ progresſi, tandem verticem ſuperant, barbari quos ibi tendere putabant, ſua in caſtra jam redierant, (f) & Saxones quidem, qui in primis erant, ſex illa tormenta prædam faciunt.

Quum prælium non intermitteretur, circa ſextam veſperinam Ludovicus Dux Badenſis, cum Saxonico & Heuſleri deſultoriō milite, dimidiâ parte VVirtenbergicæ legionis, & quibusdam aliis cohortibus, ad exteriorem foſſæ declivitatem, propter Scotorum portam, profectus eſt, cum Comite Starenbergio, qui urbi præerat, Accessus hoſtium oppugnaturus. Hos milite completos eò uſque tenebat hoſtis, ſupremo tempore, præter morem, granatas ferramentis immixtas, lapides jaciens, & muros tormentis quatiens, velut ſalvo adhuc ſuo atque integro exercitu. Ubi jam advenientes hoſtem, ut convenerat, à tergo aggrediuntur, bina ille in proximo Suggestu tormenta vertit, & in ſuccedentes celeriter explodit. Parvulis autem præliis cum Janizaris factis, Turcæ è munitionibus ſuis erumpentes in fugam ſe conjiciunt, cuncta relinquunt, nec oppidanos etiam expectant. Hi circa veſperam egreſſi ab altera parte Accessūs intraturi, hoſte vacuum locum reperiunt, quem adeò, arma-menta & quæ ibi inveniunt, ſua facientes, nemine reſiſtente, tenent.

Interim Poloni ad caſtra majora hoſtis perveniunt, Ve-zirii tabernaculum, quæq; eò ſpectabant, cuncta corripunt, & maximâ prædâ potiuntur. Hoſte ſic profligato, qui eodem die ab exortu ſolis, magnâ impedimentorum copiâ, carris at-que equis, cum multis millibus hominum egreſſus caſtris, profectus eſt, Comes ab Auersberg, Generalis Adjutor tam lætum nuncium S. Cæſareæ Majeſtati, quæ tunc Thierenſteini morabatur, ad perferendum mittitur.

FK 9c 52 72

RG(O)RG

Die 7^{to} Septembris ante meridiem Rex Poloniae, ambo Electores, Bavarus atque Saxo, Dux Lotharingiae, omnes Principes ac Duces aderant, hostiles Accessus, Vineas, Cuniculos observare. Sequentem etiam circa meridiem S. Caesarea Majestas, cum modico comitatu, secundum flumine advenit, triplici tormentorum, quae in muro collocata, fonitu excepta. E navigio adscendenti uterque Elector, Bavariae & Saxoniae, Dux Lotharingiae, sequentibus caeteris Principibus atque Ducibus obviam procedunt, claram victoriam & liberatam regiam gratulantur. S. Caes. Majestas quidem Electoribus, Principibus & Ducibus comitata per hostium Accessus, fossasque urbis oppugnatae equo vecta, cuncta oculis notabat. Hinc reliquam partem ambitus emensa Stubensem, quae in ortum spectat, portam introiens, ibique ab oppidano Magistratu brevi habitata oratione excepta in urbem, ac D. Stephani templum pergit, in quo, ter resonantibus tormentis, hymno, Te DEUM laudamus, debitus DEO honos tributus est.

His gestis, ubi S. Caes. Majestas die 7^{to} suum militem, exercitus etiam Polonorum Regis, Bavari & Imperii auxiliares manus, tunc ad vicum Schvvechat tenentes, ac in Hungariam proficiscentes lustraverat, Sereniss. Saxoniae Elector suo cum exercitu, in terras ditioni suae subjectas iter suscipit. Ego licet per id tempus sub Caesare Ingeniarii munus Viennae inclusus, divina benedicente gratia, pro viribus functus, quae in liberanda civitate contingere, minus notare potuerim, tamen haec, quandoquidem ab ipsis Ducibus & omnium ordinum Praefectis, aliisque studio partium alienissimis spectatoribus praecipuo ac singulari studio sic observata sunt, melioris explicationis gratia ichnographiae huic, a me delineatae, subjicere volui.

RG(O)RG



Die

7

72

ULB Halle 3
004 820 703



W 0 0 7





perfectis, in fugam turpiter coniecti, amissas vires, perpetuo sustinent.

Quamvis prima victoria cum sint emissam phiam meam etori me pro chalcographi curare.

Ubi obserptembris st. n. sula motis, è n. posuisse, quò suarum parter cessus contrà, igne destructo lutem petere globorum icti graphia hæc exhibet, bre



are non
celeber-
a publi-
nogra-
oso Le-
perans,
m pro-
& II. Se-
olis In-
eadem
piarum
t. Ac-
aquam
fugâ sa-
ermisfis
Ichno-
ntia tibi
erit,

BRE-

